

ridie ad alium eas numerant, ut videre est in tabulis motuum
coelestium & alijs supputationibus Astronomicis.

Hora inæqualis nihil aliud est quam duodecima pars aut
diei aut noctis artificialis: cum enim quavis die & quavis no-
cte, siue longæ sint, siue breues, 6. signa ascendant supra quem-
vis horizontem, ut ex 3.º de sphaera patet, nihilominus in sphae-
ra obliqua dies ferè semper noctibus sint inæquales, fit, ut ho-
ræ 12. in quas spatium diei, & horæ 12. in quas spatium noctis
diuiditur etiam sint inæquales; duæ enim magnitudines inæ-
quales, si diuidantur in partes æquales, uti v. g. utraque in 12.
non potest non fieri, quin partes maioris magnitudinis sint
partibus minoris inæquales, intelligendo de partibus conti-
nuis diuisis.

Iam ergo si quis velit horam æqualem beneficio Astrolabij
diurno tempore inuestigare, siue ante meridiem hoc sit, siue
post meridiem, accipiat per propof. 2. altitudinem solis, quam
ponat per 4. Propof. inter circulos Almicantharath & cir-
cumducta aranea, gradum Ecclipticæ, in quo tunc sol mora-
tur, supra parallelum prædictæ altitudinis directè sistat; ex par-
te quidem orientis, si tempus sit antemeridianum; ex par-
te occalus, si pomeridianum; in linea verò meridiana, si meri-
dies sit: linea enim fiducia huic gradui solis superposita, o-
stendet in limbo horam æqualem à media nocte, si tempus sit
antemeridianum, aut à medio die, si pomeridianum.

Sed Nota primò, quod si ultra horas completas, aliqua por-
tio limbi ab ostensore secetur, videndum, quot graduum sit
illa portio; singulis enim gradibus æquinoctialibus tribuun-
tur 4. minuta. Vt, si ostensor cadat v. g. ultra 8 hor. matut. 6.
gradibus, dico esse horam octauam & 24. min. quater enim 6.
dant 24.

Nota secundò, quod si horæ æquinoctiales in limbo expref-
sæ non sint, tunc numerentur gradus æquinoctialis inter line-
am fidu-

D

am fidu-